



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Quomodo inventa sint primùm hæc Testamenta duodecim Patriarcharum,  
& quibus authoribus è Græco in Latinum translata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Quomodo inventa sint primùm  
hæc Testamenta duodecim Patriarcha-  
rum, & quibus authoribus è Græco  
in Latinum translata.

**H**æc abscondita & celata per longa tempora fuerunt, ita quod nostri Doctores, & antiqui interpretes illa nequiverant invenire, quod factum est per invidiam Iudæorum, qui ea propter evidentissimas, manifestissimas ac crebras de Christo prophetias, quæ in illis scribuntur, diu occultaverunt. Tandem Græci, veterum scripturarum exploratores diligentissimi, hæc cautè quærebant, & cautius adquirebant, & ex Hebræo in Græcum fideliter transtulerunt. Remansit igitur hoc scriptum occultum, eo quod non inveniretur peritus in utraq; lingua scilicet, Græca & Latina, & aliquis interpres, qui curares super hoc sollicitari, ut faceret transferri opus memoratum, per longa atatum tempora, usq; ad tempus Lincolniensis Episcopi, Roberti secundi cognomento scilicet, Grossetesti, qui usq; in Græciam misit diligentissimos exploratores, ut exemplar scripti memorati non solliciti de expensis, quas abundanter ei invenerat, reportarent. Venerabilis igitur Episcopus, ut memoriam lucidissimarum prophetarum, ad robur fidei Christianæ perpetuaret. Anno Christi M. CC. XLII è Græco in Latinum, in quibus idiomatibus peritissimus habebatur, transtulit evidenter, de verbo in verbum, ac fideliter, adjuvante Magistro Nicolao Græca, Rectore Ecclesiæ de Datchet, Clerico domini Abbatis de sancto Albano, quo sic luculenta prophetia, quæ in hoc scripto luce clarius coruscant, in majorem confusionem Iudæorum & omnium hæreticorum & inimicorum Ecclesiæ gloriosius prorumpant. Cui sit laus & gloria in sæcula, Amen.

A. G. VOLUSIUS, D.

TESTA.